

32

DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE  
INCOMPREHENSIBILITATE  
**SAPIENTIÆ DIVINÆ**  
NEMINI

RERUM FINIBUS EXPLICANDIS  
INTERDICENTE,  
QUAM,

*Consent. Ampliſſ. Facult. Philoſoph. In Regia  
Acad. Aboënſi,*

PRÆSIDE

*Maxime Reverendo atque Ampliſſimo VIRO,*

**DN. CAROLO  
MESTERTON,**

S. S. Theol. DOCT. nec non Log. & Metaph. PROF.  
Reg. & Ord.

PRO LAUREA

*Publice ventilandam ſſit*

**JOHANNES SALMENIUS,** *Joh. Fil.*

*Ostrobotniensis.*

In Aud. Maj. ad diem XXI. Junii Anni MDCCLIII.  
L. H. Q. S.

---


ABOÆ, Impreſſit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

DISSERTATIO-ACADEMICA  
DE  
SALUTE MENTIS  
AUCTOR  
J. H. O. S.  
PRAESIDENS  
MAG. JACOB MERRILL

PRO LAUREA  
J. H. O. S.  
MAG. JACOB MERRILL

JOHANNES SALMNIUS, Joh. W.  
In Aus. M. ad diem XXI Junii Anni MDCCIII.  
L. H. O. S.

ABOE, Imprimerie Diez & Typogr. Reg. Mag. Jac.  
England JACOB MERRILL



§. I.

**S**umma sapientia est scientia constituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via brevissima ad finem ducunt, & quibus eum ex arte consequi datur, finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinandi, ut remotiorum media sint propiores, & omnes tandem simul medium finis ultimi.

§. II.

**S**apientia ejusmodi summa Deo competit, quia est spiritus perfectissimus, & quod consequens est, quia intellectu gaudet perfectissimo.

A

o

Altissimo, Ideo in intellectu divino sapientia divina rationem habet sufficientem. Modum igitur, quo sapientia Deo competat, tum demum intelligemus, si intellectum Divinum penitus cognoscamus; Quem si penitus cognosceremus, intellectus noster ipse Divinus & illimitatus esset. Intellectus autem humanus admodum limitatus est. Idcirco sapientia Dei nobis est incomprehensibilis.

Fac, nos notionem habere de ejusmodi scientia Dei, quæ summa sapientia est, modo, & tunc animæ nostræ summa sapientia esset attribuenda. Anima vero nostra non est sapientia summa instructa, sed longissimo potius intervallo ab eadem distat. Neque enim sagacissimus mortalium omne cognoscit cognoscibile, dum numerus cognitorum ab incognitus vel infinities superatur, neque in iis quæ cognoscimus, ad summum cognitionis distinctæ gradum possumus progredi, quia multiplex confusio admixta manet cognitioni nostræ licet distinctæ, neque denique multa simul possumus distincte percipere, quippe quo pluribus mens nostra intenta est simul, eo minor fit ad singula

rite

rite perspicienda, eoque majori, qua totam repræsentationem, obnoxia est confutioni. Quamobrem sapientia Divina nobis & omni enti finito incomprehensibilis manet.

§. III.

**D**UM sapientiam Divinam omni enti finito incomprehensibilem dicimus, non hæc dicti mens est, quod ens intelligens finitum nihil plane de sapientia Divina intelligat, alias enim, ne quidem hæc, quæ in medium adferimus, possemus de illa disputare. Aliud enim est rem cognoscere generaliter, aliud specialiter, aliud specialiter ex toto, aliud ex parte cognoscere. Cognoscimus summam Dei sapientiam generaliter, dum in quo posita sit, quodnam sit ejus principium, quæ adfectiones non ignoramus. Quod autem ad specialem cognitionem attinet, cognoscimus quidem ex parte, dum multi finium multaque mediorum, quibus Deus utitur, sive a priori, sive a posteriori nobis perspecta sunt; at ex toto nos sapientiam Divinam perspicere specialiter, est, quod negamus, & quod

per incomprehensibilitatem ejus heic significamus.

§. IV.

**H**Æc incomprehensibilitas sapientiæ Divinæ in causa fuit, cur nonnulli philosophorum gravis & intolerabilis arrogantia atque curiositatis eos arguerint, qui in consiliis, Divinis, & operum Dei finibus multum laborandum esse autumant. In his Cartesius commemorari debet, cujus hæc sunt verba: Atque  
 “ob hanc unicam rationem totum illud causalium genus, quod a fine peti solet, in rebus  
 “physicis nullum usum habere existimo, non enim absque temeritate me puto investigare  
 “posse fines Dei. Alibi in hunc modum loquitur: nullas unquam rationes circa res naturales  
 “a fine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit, admittimus, quia non tantum nobis debemus arrogare, ut ejus consiliorum  
 “participes esse possimus. Adhuc longius processus: Nec fingi potest, inquit, aliquos Dei fines, magis, quam alios in propatulo esse;  
 omnes

omnes enim in imperscrutabili sapientiæ abyſſo<sup>66</sup>  
 eodem modo reconditi ſunt.

§. V.

**C**Artheſio prævit quodam modo Franciſcus  
 Baconus de Werulamio. Tractatio, in-  
 quit, cauſarum finalium in Phyſicis inquiſi-<sup>66</sup>  
 tionem cauſarum phyſicarum expulit & de-<sup>66</sup>  
 jecit, effecitque, ut homines in ejusmodi<sup>66</sup>  
 ſpecioliſ & umbratilibus cauſis acquieſce-<sup>66</sup>  
 rent, nec inquiſitionem cauſarum reali<sup>66</sup>  
 um, & vere phyſicarum ſtrenue urgerent,<sup>66</sup>  
 ingenti ſcientiarum detrimento. Veræ phy-<sup>66</sup>  
 ſicæ inveſtigandæ cupidus Verulamius me-  
 tuebat, ne omnis prorsus cauſarum natu-  
 ralium indagatio, cauſis finalibus ſuſce-  
 ptis ſemel atque confirmatis, intermittere-  
 tur ac negligetur. Sed hunc metum vanum  
 omnino fuiſſe, ipſemet, ſi in terram hodie  
 reverteretur Verulamius, ſempiternum gentis  
 Britannicæ decus, totque inſpiceret recentio-  
 rum phyſicorum eximia volumina, lubens con-  
 fiteretur.

§. VI

## §. VI.

**D**iligentiſſime & ingenioſiſſime hoc totum de cauſſis finalibus argumentum ſuperioris & currentis ſeculi principes Phyſici, Gaſſendus, Morus, Boiſſus, Rajus, Huetius, Nieuventyt, Derhamus, Leibnitius, perſecuti ſunt. Errant valde, inquit, eximius ex Germanis naturæ ſcrutatur illuſtris Leibnitius, “ne quid gravius dicam, qui cauſſas finales “cum Cartheſio in Phyſica rejiciunt, cum ta- “men præter admirationem Divinæ ſapientiæ, “pulcherrimum nobis principium præbeant, “earum quoque proprietates, quarum in- “terior natura nondum tam clare nobis cogni- “ta eſt, ut cauſſis efficientibus proximis uti, “mechanicasque quas conditor ad effectus illos “producendos, finesque ſuos obtinendos adhi- “buit, explicare valeamus, Ex ipſo docu- mentum hujus rei capere poſſumus, qui ex cauſſa finali hypotheſin primariam, opticæ, ca- “toptricæ & dioptricæ communem eruit. Lu- “men a puncto radiante ad punctum illu- “ſtrandum pervenit via omnium facillima, quæ deter-



determinanda est primum respectu superfici-  
 erum planarum, accommodatur vero ad  
 concavas aut convexas, considerando ea-  
 rum planas tangentes. Recte igitur Judicat  
 Nieuentytius præter eam Physicæ partem,  
 quæ in causarum efficientium explicatione  
 versatur, aliam adhuc constituendam esse,  
 quæ causas finales indagaret, cuique scopo-  
 logiæ nomen indi posset. Ea, quæ optavit  
 Nieuentytius re ipsa præstitit Illustris Wolfius,  
 in duobus libellis de finibus rerum naturalium,  
 atque hanc scientiam Teleologiam denomina-  
 vit. Illa plurimas opportunitates in Theologia  
 naturali habet, ita ut instar Theologiæ Experi-  
 mentalis spectari possit, quoniam ea per experi-  
 entiam firmat, quæ in Theologia naturali ra-  
 tionis ope eruuntur. Tantum porro abest, ut fini-  
 um investigatio ei physicæ parti, quæ causas effi-  
 cientes tractat, nulla in re quicquam nocuerit, ut  
 volumina recentiorum Physicorum utramque qua-  
 si cognatione continuatam conspirare declara-  
 verint.

## §. VII.

**Q**ui absolutam in omnibus rebus necessitatem  
 detene-

defendunt, fines rerum omnes tollere debent. Quamobrem mirum non est, quod Benedictus Spinoza omnes e mundo fines eliminaverit, & Deo sapientiam abjudicaverit. Contendit ille, non nisi a præjudicatis opinionibus eam de finibus Dei doctrinam ortam esse, atque perfectionibus Divinis repugnare ut quam maxime. Multus hic esse possem, si ea, quae a Poirero contra ipsum disputata sunt, enumerare & expendere vellem. Sed quid ea juvat multis enarrare, quæ neminem harum rerum peritum fugiunt?

*SOLI DEO GLORIA.*

